

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Sortilegium et diuinitio i  
cum fontibus proximo et primo

Non exemplo Mathie,  
uel quod Ionas propheta sorte deprehensus sit,  
indifferenter sortibus est credendum  
cum priuilegia singulorum  
  
communem legem omnino facere non possint.

Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant  
sortibus apostolorum exemplo esse consulendum,  
uideant hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum cetu,  
et precibus ad Deum fuis egisse.

Beda super Actus apostolorum.

*Item Beda super Actus Apostolorum*, [ad c. I].  
Non exemplo Matthiae,  
uel quod Ionas propheta sorte deprehensus sit,  
indifferenter sortibus est credendum,  
cum priuilegia singulorum  
(ut Ieronimus ait)  
communem legem facere omnino non possint.

Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant  
sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum,  
uideant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cetu,  
et precibus ad Deum fuis egisse.

Gratianus, *Decretum*, 2.26.2.4 (*Corpus iuris canonici* 1,  
A. Friedberg ed., col.1021).

Non hoc exemplo,  
uel quod Ionas propheta sorte deprehensus sit  
indifferenter sortibus est credendum,  
cum priuilegia singulorum,  
ut Hieronymus ait,  
communem legem facere omnino non possint.  
Nam ibi et gentiles uiri tempestate coacti auctorem periculi sorte  
quaerebant; et hic Mathias sorte eligitur, ne apostoli electio mandato  
discrepare legis ueteris uideretur ubi summus sacerdos quaeri  
iuebatur, sicut de Zacharia dicitur: *Secundum consuetudinem*  
*sacerdotii sorte exiit ut incensum poneret.* Qui idcirco, ut reor,  
tunc sorte legebatur, ut in typo figuraretur uerum semper quaerendum  
fuisse sacerdotem, donec ueniret cui repositum erat, qui non  
in hostiarum cruore *sed per proprium sanguinem introiuit semel*  
*in sancta aeterna redemptione inuenta*, cuius hostia tempore paschae  
immolata sed die pentecostes spiritu sancto in igne apparente uere  
consummata est. Veteris enim erat consuetudinis acceptas deo  
uictimas caelesti igne consummari. Donec ergo ueritas compleretur  
figuram licuit exerceri; unde est quod Mathias qui ante pentecosten  
ordinatur sorte quaeritur, septem uero diaconi qui postea,  
nequaquam sortis agitatione sed discipulorum tantum electione,  
apostolorum uero oratione et manus impositione sunt ordinati.  
Quod si qui necessitate aliqua compulsi deum putent  
sortibus exemplo apostolorum esse consulendum,  
uideant hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum coetu  
et precibus ad deum fuis egisse.

Beda Venerabilis, *Expositio actuum apostolorum*, 1.26 (CCSL 121,  
M.L.W. Laistner ed., pp.14-15, ll.248-270).